

AD
ACTVM ORATORIVM
FER. III. PASCHATIS
IN AVDITORIO MAIORE
AB HORA III. POMERIDIANA HABENDVM
PERILLVSTRES AC GENEROSISSIMOS
SCHOLAE ILLVSTRIS
E P H O R O S
DOMINOS SVOS PERINDVL-
GENTES,

ITEMQVE
CIVITATIS MISENENSIS VIROS OMNIVM ORDINVM
AC DIGNITATVM SPECTATISSIMOS,
QVA DECET, OBSERVANTIA ET MODESTIA
INVITAT,

DE
CORPORVM MORTVORVM IN VITAM REDITV, RATIONI
NON REPVGNANTE, SED OPTIME CONGRVENTE,
NONNVLLA PRAEFATVS

M. IOANNES ULISCHIUS,
ILLVSTRIS AFRANEI RECTOR.

DRESDAE, LITERIS HARPETERIANIS.

Theol. evang.

dogm.

345,11^m

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



In palmariis Christianae doctrinae capitibus habendus est corporum mortuorum in uitam reditus, qui tamen, quo maioris est momenti, eo magis a multis prauae doctrinae sectatoribus, uel in dubium uocatus, uel plane negatus est. Agmen in his ducunt Sadducaei, qui, quod ab antesignano suo, Saddoco, decepti nulla futuri saeculi crediderunt praemia, animas simul cum corporibus interire, nullamque corporum ex-fuscitationem dari, existimarunt. Ab his si non sumserunt sua, non multum tamen abierunt Hymenaeus, Philetus, & nostra quoque aetate Benedictus Spinoza, qui, *resurrectionem* mortuorum, in ueteri instrumento promissam, tantum metaphoricam, & talem esse, statuerunt, quae iam facta fuerit, cum aut homines in nouo instrumento per praedicationem salutaris Christi doctrinae e tenebris errorum uitiorumque ad amplectendam interpositam seruatoris nostri operam, & uitae sanctimoniam, tanquam e morte ad uitam reuocati, aut Iudaei ab exilio Babylonico in nouam rempublicam restituti fuissent. Alii,

hoc Christianae religionis caput eam naturam & conditionem habere, ut fieri non posset, arbitrati sunt. Nonnulli denique Epicuri de grege porci, qui in hac uita se tantum uoluptatibus & flagitiis nobilitarunt, eo libentius hunc errorem amplexi sunt, quo magis, animas & corpora exstingui, sua interesse, censuerunt.

Caussa & origo hujus erroris in mentis prauitate, non in sana ratione, eiusque ratiocinatione, quaerenda est. Hanc enim si sequi uoluissent illi homines, mortuorum exfuscitationi cum rationis iudicio bene conuenire, deprehendissent. Etsi enim haec doctrina non tam ex ratione, quam ex diuina reuelatione petenda est, eam tamen ita comparatam esse, ut rationi magis congruat, quam repugnet, quilibet sanae mentis homo perspicere potest.

Nunquam enim animus noster his angustiis, quas natura nobis ad uiuendum dedit, contentus est, semperque immortalitatis amore flagrat. Finge, hominem integris membris, integris etiam corporis animique uiribus, integris certisque sensibus, mille annos uixisse, nondum tamen naturam satietate uiuendi sibi ita expleuisse uidebitur, ut non plus ultra appetat, quia, appropinquante moriendi necessitate, omnis uoluptas praeterita pro nihilo foret, quae postea nulla futura esset. Et, quamuis saepius fiat, ut homines quidam sibi mortem exoptent, quia uita nostra est propagatio miserrimi temporis, & subinde incidunt tempora, quibus optime cum iis actum uidetur, qui mortem cum uita commutarunt: id tamen non ipsius uitae, sed molestiarum, quae uitam nostram comitantur, taedio fieri consuevit, saluo nihilo fecius manente in iis uiuendi desiderio, & salua manente spe uitae melioris. Dicant igitur Philosophi corpus animae ergastulum, dicant carcerem, in quo male fit animae, si sensuum hebetudo, morbi, aut senectutis ingruant
incom-

incommoda; amat tamen nihilo fecius anima corpus suum, quocum semel coniuncta fuit, illudque custodire, sanare, liberare, suffulcire, & quouis modo conseruare studet, ne corruat, & a corpore nonnisi aegerrime seiungitur, sed illius tanto tenetur desiderio, ut nullum in tota rerum natura uinculum inueniatur firmitus, quam illud, quo anima & corpus copulantur. Non obstat dictis nostris, quod nonnulli optant, se aliquando destrui, quia hoc fit conscientia meritorum, propter quae penitus exstingui malint, quam ad supplicia resurgere. Quo arctius igitur est hoc corporis & animae uinculum, eo aegrius in morte dissoluitur, & quo aegrius in morte dissoluitur, eo impensius anima ad pristinam cum corpore coniunctionem adspirat, quod desiderium omnino frustra animae indidisset conditor noster optimus, si nunquam corpora mortuorum in uitam redirent.

Accedit conscientia hominis, iudicans de eius actionibus bonis & malis, ita, ut bonas & secundum legem factas approbet, iisque delectetur, & Deum sibi propitium promittat, malas uero damnet, iisque perturbetur, & Deum iudicem metuat. Unde enim conscientiae tranquillitas, nisi ex uita bene acta? & unde conscientiae perturbatio, nisi ex uita male acta? Unde tanti terrores animi ob scelera & crimina, etiam in occulto gesta, ubi nihil a foro humano timendum est? unde metus mortis & poenae, quotiescunque homo de morte cogitat? Fateor, figmenta esse poetarum, quae apud inferos de Sisypho, saxum uolente, de Tantalo, fame & siti laborante, & frustra pomis & aquis inhiante, de Ixione, rotae alligato, & de aliis fabulantur: sed latere sub his inuolucris aliquid, quod est in rem nostram, quis non uidet? Audiamus de his poenis Ciceronem, in Oratione quarta Catilinaria ita iudicantem: *Ut aliqua in uita formido improbis esset posita, apud inferos eiusmodi*

quaedam illi antiqui supplicia impiis constituta esse, uoluerunt: quod uidelicet intelligebant, his remotis, non esse mortem ipsam pertimescendam. Atqui uero metuunt quam maxime mortem improbi, quia scelerum suorum in hac uita nec rationem, nec poenas dederunt; non aequè metuunt, sed interdum lubentes eam obeunt, qui, quoniam pro gloria Dei & salute publica tantis laboribus tantisque periculis se exercuerunt, secundum rationis iudicium aeterna praemia exspectant; utrorumque uel metus, uel spes, iustitia diuina nititur.

Dixeris, hanc spem, aut hunc metum, uel a parentum educatione, qui timorem Dei nobis inculcarunt, uel a legibus humanis, quae bona remunerantur, & mala puniunt, repetendum esse. Neutrum horum. Non prius: quia, quando cum aetate ad omnia rectius sapere discimus, opiniones falsas, a parentibus haustas, denuo abiicimus. Non posterius: quia reges & principes, apud quos legum humanarum non tanta est auctoritas, nihilo secius malefactorum conscientia torquentur. Nunquam igitur penitus & in perpetuum ita supprimitur uis conscientiae, quin resurgat, & futurorum praemiorum uel poenarum nos commonefaciat.

Maximum dubium contra corporum mortuorum in uitam reditum mouet, ut breuiter cum philosophis loquar, *impossibilitas*. Corpora enim in puluerem mutata, a uermibus consumpta, cremata, in cineres redacta & in flumina & maria dissipata, bestiis proiecta, deuorata, & in bestiarum alimenta & carnem transmutata, aliquando ad uitam reuocatum iri, ratio nostra uix capere posse uidetur. Sed uidetur. Ista enim corporum nostrorum, in cineres redactorum, aut a bestiis deuoratorum, particulae, ubicunque terrarum lateant, certe tamen adhuc in rerum natura existunt. Si adhuc existunt, Deus pro infinita sua scientia & sapientia etiam nouit, ubi lateant & existant.

stant.

stant. Si nouit, ubi lateant & existant, pro infinita sua potentia eas etiam undique reuocare, & ad effingendum pristinum corpus reducere poterit. Nihil hic dicitur, quod rationi contrarietur. Multas quidem in hanc rem *παλιγγενεσιαις* imagines in floribus & foliis, tempore uernali redeuntibus, in bombycibus & papilionibus natura nobis ostendit: habet etiam uetustas exempla eorum, quibus mortuis uita reddita fuit, quos Hugo Grotius in libro *de ueritate religionis Christianae* commemorat. At enim, quia nec flores iidem, nec folia eadem redeunt, quae interierant, bombyces uero & papiliones, qui reuiuiscere uidentur, reuera mortui non fuerunt, & par quoque est iudicium de iis mortuis, quos Grotius ex Platone, Heraclide Pontico, Herodoto & Plutarcho nobis commemorat; de iis tacere, quam multa iactare, fatius esse, arbitramur. Illa tamen iucunda naturae spectacula sine admirationis sensu taciti praeterire non possumus, quando ex florum, plantarum, arborum & animalium salibus & cineribus imagines substantiarum producuntur, quales Athanasius Kircherus in *mundo subterraneo*, Quercetanus, Gaffarellus, Digby, & ex his Vallemontius in *memorabilibus naturae & artis*, aliique exhibent. Etsi uero mortuorum exsuscitationem ex rationis iudicio non probare contendimus, eam tamen illi non repugnare, sed optime congruere, nobis breuiter ostendisse sufficiat. In promptu sunt oracula diuina, rationes Theologicae, & exempla in uitam reuocatorum, quorum copiam sacrae literae nobis faciunt. Plura de hac re exponere cum festinatio, tum temporis prohibet angustia. Datum est id negotii tribus optimae spei Iuuenibus, a literarum morumque elegantia commendandis, qui, quae spatium nobis praefixum non capit, longius persequuntur. Prodibunt enim in medium,

VALERIUS HERBERGERVS, Freibergensis, oratione graeca corporum mortuorum exfuscitationis certitudinem argumentis euieturus,

CHRISTIANVS AVGVSTVS SCHVZIVS, Penigensis, oratione latina de futuri mortuorum in uitam reditus necessitate acturus,

CAROLVS HENRICVS TEVCHERVS, Dresdensis, carmine germanico ostensurus, fieri omnino posse, ut mortui aliquando resurgant.

Ad hos audiendos ut frequentes conueniant, suaque dignitate & conspectu eos ad rem gerendam alacriores reddant, omnes patronos & fautores, qui optimarum artium studiis honestisque ingeniis fauent, pro ea, quam cuique debemus, reuerentia & humanitate, etiam atque etiam rogamus. P. P. in illustri schola Misnenfi pridie Nonarum Aprilis

A. R. G. MDCCCLII.



AV